

Johann Fecht

Decanus Facultatis Theologicae In Universitate Rostochiensi, Jo. Fechtius, D. & P.P. Cons. Duc. Adssessor Et Districtus Rostoch. Superintendens, Suo & Amplissimae Facultatis nomine Ad Exequias ... Justi Christophori Schomeri, SS. Th. D. & Prof. ... Per maxima undiquaque merita gravissimi, Collegae, dum viveret, coniunctissimi, Praematura funestaque nobis morte erepti, Omnes omnium ordinum cives Academicos officiose ac amanter invitat : [P. P. Sub Sigillo Facultatis. XXI. Apr. MDCXCIII ...]

Rostochii: Wepplingius, 1693

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn755908074>

Druck Freier  Zugang



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de/
rosdok/ppn755908074/phys_0001](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn755908074/phys_0001)

DFG

KL-241(4)¹

Oldendorp: Warhaftige entschul-
dinge. Rostock, 1533

wurde aus dem Band gelöst.
Steht bei Rara -

KL-241.(4) <SON>

bestrohlt 2000

17

DECANUS
FACULTATIS THEOLOGICÆ
In Universitate Rostochiensi,

JO. FECHTIUS, D.

& P.P. CONS. DUC. ADSESSOR ET DISTRICTUS
ROSTOCH. SUPERINTENDENS,

Suo & Amplissima FACULTATIS nomine,

Ad Exequias

*VIRI MAXIME REVERENDI, AMPLISSIMI &
EXCELLENTISSIMI, DOMINI*

**JUSTI CHRISTO-
PHORI SCHOMERI.**

SS. Th. D. & Prof. Primarii longè celeberrimi,


Consistorii Ducalis Assessoris & Districtus Mecklenburgici
Superintendentis,

Per maxima undique aqve merita gravissimi,

Collegæ, dum viveret, conjunctissimi,

Præmaturâ funestaqve nobis morte erepti,

*Omnes omnium ordinum cives Academicos officiosè ac
amanter invitati.*



Rostochii Typis JOH. WEPPLINGII, Univ. Typogr.
a*il*

Reptus nobis est, Cives, ipso Palmarum feto,
qvo mœstissimis de passione Servatoris nostri
meditationibus immersi eramus, acerbâ im-
maturaqve morte, quod ineffabilem nobis moc-
rorem doloremque attulit, JUSTUS CHRI-
STOPHORUS SCHOMERUS, æternum
nobis nostræq; Academiæ nomen. Is, ceu sci-
tis ipsi & noverunt omnes, nec inficiabitur,
nisi qui rerum nostrarum vel cum stupore qvodom vel cum malitiâ
sit ignarus, in his acrorum sedibus & bonæ mentis templo decus
ac majestatem sustinuerat Theologici nostri confessus. Hic eo
vivente caput suum efferebat, neq; qvoad ipse supererat, qvicqvam
eia summa felicitatem deesse videbatur, nisi ut his rebus no-
stris accederet perpetuitas. Obstatit summijustique Numinis vo-
luntas, cuius aspera nonnunquam & plerumq; inexplicabilis lex
est, ut qvæ ad summum enisa sunt fastigium, majori, qvam a-
scenderant, velocitate retro iterum labantur. In hoc verò vi-
ro, qvid quantumq; possederimus bonorum, quam fecerimus e-
jus obitu felicitatis nostræ jacturam, non melius scienus, quam
si prius intellexerimus, qvis ille, qualisq; per totam vitam fuerit,
qvem nunc in morte lugemus. Natus is est Lubecæ, ipso die so-
lennitatis Paschalis, A. M DC XLIX. Patre NICOLAO SCHO-
MERO, Reip. primum Advocato & Procuratore, postea Consilia-
rio Urbis Brunsvicensis, postremò U. J. Doctore & Reip. Lubec.
Primario Senatore; viro tam recti æqviq; observante, ut memo-
ria ejus & in rempl. amplissima merita ad hodiernum usq; diem
celebrentur. Matre SUSANNA, ex Amplissimo apud Hambur-
genles atq; Holtatos Jure-Consulto, CHRISTOPHORO SCHLA-
FIO, prognatâ, magnarum virtutum, verissimarumq; laudum fœ-
minâ. Avus Paternus ei fuit JODOCUS SCHOMERUS, Præ-
diorum ad Cathedram Ecclesiam Osnabrugensem spectantium
Inspector, Judiciiq; Kappelensis Secretarius. Avia Paterna, SO-
PHIA, NICOLAI KARNEBEKII, Mercatoris primarii Filia.
Avus Maternus CHRISTOPHORUS SCHLAAFIUS, primum
Senator & Secretarius Osnabrugensis, postea ob religionis perse-
cutionem exul & Secretarius ac Vice-Syndicus Capituli Cathedra-
lis

lis Hamburgensis, nec non Practicus Provincialis in Holstatiā judicii. Avia Materna, ANNA, JOHANNIS à LENGERKEN, Senatoris ac Mercatoris Osnabrugensis Filia. Ingenium capientis artibus & scientiis apprimè accommodatum in schola primum patriæ *Henricus Bangorius*, notarum ad Helmoldi Chronicon celebris scriptor, & *Hermannus Notelmannus*, excoluerunt. Planè insitam naturæ vim & pectoris benè nati indolem recta institutio erigit & in majus meliusq; provehit. Pubertatis deinceps annos egressus, summam spem, quam de eo jam puero omnes conceperant, incredibili industriâ superavit. Nam Academiæ Kiloniensi A. MDCLXVII. insertus, MATTHIAM WASMUTHUM, Hospitem suum, SAMUELEM item REIHERUM & CHRISTOPHORUM FRANCKIUM, tantâ animi contentione & veluti pertinaciâ audivit, ut & Vivacissimo impetu & successu admirabili in omnne præstantissimorum studiorum genus grassaretur. Seqventis anni fine, qvo juvenem proprii animi ferebat vigor, Wismariæ à STEPHANO MASIO Rabbinicæ literaturæ mysteria, qvorum Theologus illè peritissimus fuerat, ita imbibit, sibiq; cognita redidit, ut jam antecedere commilitiones suos, cæterisq; omnibus elegantioris literaturæ varietate eminere crederetur. Qvare & A. MDCLXIX. præmium industriae suæ, stipendum Schabbelianum, à DAVIDE GLOXINIO & HENRICO SCHABBE-LIO, Jure-Consultis, exinium promovendorum studiorum instrumentum, est consecutus. Profectus hinc, ne uno loco omnem conqvifivisse eruditionem videretur, ad Academiam Gießenam, Theologica præcipue studia, qvæ excolenda admonitus, ob amissam ante ipsum natum duplēm sobolem, parentum voto libentissimè acqvievit, suscepérat, provehere latius doctoribus viris supra omnem laudem positis, PETRO HABERKORNIO, JO. NICOLAO MISLERO, MICHAELE SIRICIO & JO. LUDOV. HANNEKENIO, cuius præsidio in defendendâ conscriptâ à se de Pœnitentiâ Disputatione usus est, summâ curâ industriâq; contendit. Qvamq; enīm nec Philosophorum Scholas, FRIDERICI præprimis NITSCHII Mathematicas acroases, neglexerit, in ipsaq; Cartesiana Philosophia arcana curiosâ ingenii sui subtilitate penetraverit, id tamen ea fecit prudentiâ, ut disciplinas qvas.

A 2

cii-

canq; è rationis humanae fonte præmanantes, sub Theologiæ im-
perio retineret, ne forte, dum ipsam omnium scientiarum domi-
nam expeteret, inter servitia atq; ancillas ejus nimium obhære-
sceret, aut iisdem benigniores præbendo aures, reginae majesta-
tem conclucaret, pollueretque pulchritudinem. Tantus autem ju-
venem sciendi ardor, tanta, utita loqvar, intemperies tenebat,
ut A. MDCLXXII. anno assumpto fidoque comite, universam Ita-
liam, Galliamque peragraret. Vix ipsi eo in itinere Venetiæ,
Lauretum, Roma, Neapolis, Florentia, Bononia, Mediolanum,
Lugdunum, Lutetiæ Parisiorum, urbesque aliae. Compellati
viri omnigena eruditione celebres, qvos inter MANFREDI SE-
PTALII, Canonici Mediolanensis, mista cum ipso colloquia, vehe-
menter eundem recrearunt. Explorati & Romanæ & Orienta-
lium & Gallicanæ Ecclesiæ ritus. Perlustratae Scholæ, è qvibus &
vetustate & latâ nominis fama Sorbona, itemq; Bibliothecæ, è qvî-
bus Vaticana extollere præ cæteris caput illi videbatur. Collectis &
literariâ hac peregrinatione rarissimis animi dñitijs, per Argento-
ratum, Spiram, Heidelbergam, ad Academiam Gießenam redux,
majore impetu, qvam antea unqvam, in studiorum voluptates in-
volavit. Neq; contentus, intra Theologiæ spatia consistere, fla-
grantem variâ eruditione animum in ipsa etiam, egregia illa & vere
nobilia, juris utriusq; scita, totum immisit; arbitratus, Mo-
ralis se Theologiæ Icriptores, (cui disciplina accuratius exco-
lendæ jam tum mentis suæ propositum adposuerat) isthoc
præsidio & evolvere felicius & intelligere facilius posse. Ex qvâ
re postmodum in concreditis fidei suæ functionibus duplarem sen-
tit fructum.. Nam in Ecclesiastico, quod communi Serenissimo-
rum DUCUM MECLENBURGICORUM nomine Rostochii ex-
eretur, judicio, qvod veteri lege alternis annorum vicibus primi
utriusq; DUCIS, Güstrovensis & Sverinensis, Theologi dirigunt,
non minore, qvam magni nominis Jure-Consulti, qvi eidem affi-
dent, dexteritate isthoc officio fungi, processui in causis etiam gra-
vissimis ponere modum, sententias ad legum præscripta exactas
ferre, componere ad Acta, ceu vocant, relationes, cæteraq; fa-
cere omnia noverat, qvæ illustres juris scientiâ & usu rerum fa-
cere omnia noverat, qvæ illustres juris scientiâ & usu rerum fa-
cere omnia noverat, qvæ illustres juris scientiâ & usu rerum fa-
cere omnia noverat, qvæ illustres juris scientiâ & usu rerum fa-
cere omnia noverat, qvæ illustres juris scientiâ & usu rerum fa-
cere omnia noverat, qvæ illustres juris scientiâ & usu rerum fa-
cere omnia noverat, qvæ illustres juris scientiâ & usu rerum fa-
cere omnia noverat, qvæ illustres juris scientiâ & usu rerum fa-
fessos.

fessorio ordine in Amplissimo illo confessu ex illius ore pependi-
tis, testes estis hujus rei uberrimi. Ansim afferere, plures creari juris
Doctores, qui vel in legum notitiâ vel fori actionibus paria cum
ipso facere nunquam potuerint. Qvare & subditis Consistorii jur-
isdictioni hominibus, ubi opus erat, jus dicere & obortas inter
ipsos lites causasq; dirimere; in publico etiam auditorio Pro-
fessoris justitiae personam frequenter induere & qvas pro inaugu-
rali disputatione proposuerant, theses tantâ eruditione convellere
sciebat, quantâ illi, qui per totam vitam in illo studio fuerunt ex-
ercitati. Jam specimen illud Moralis Theologiae, quo vera & na-
turalia omnis juris atque honestatis principia breviter eruuntur,
quod octo disputationibus constans in lucem ab illo productum
est, quid ex jure civili lucis perfectionisq; acceperit, non est, ut
operole dicam. Ipsa solidi subactiq; scripti lectio cuilibet faciet fidem.
Non veretur equidem consummatæ eruditionis Jctus, CASPAR
ZIEGLERUS, principio Dissertationis Justinianæ de Clerico
Renitente, seu muneris Ecclesiastici fugâ, adseverare, post sacrum
codicem ex jure potius civili, quippe ex veterum scriptis in unum cor-
pus ab Imperatore Justiniano collecto, magna circumspectione plera-
que omnia proponente, quam ex bodiernorum Moralistarum libris, pe-
tendam esse conscientiarum informationem. Quod si justo indulgenti-
tius dictum sit, id certè controversiâ caret, inter præsidia consti-
tuenda Theologiae Moralis jus civile non insimum obtinere lo-
cum. Specimen certè SCHOMERIANUM à summi nominis
viro, SAMUELE PUFENDORFIO, tanti factum esse accepimus,
ut in illo scriptioris argumento cæteris, qvæ edita passim à viris
etiam doctissimis fuerunt, præripere palmam omnium incorruptè
arbitrantium judicio statui merito debeat. Credimusq; si & cæte-
ra ex Divino viri ingenio illi operi accessissent, tum demum nu-
meris suis perfectum Moralis Theologiae corpus, quo nos destitui-
liberrimè fateri debemus, nos habituros fuisse. Sed redeamus
ad id, unde sumus digressi. Anno MDCLXXIV. Gießam
suam, tantopere sibi adamatam, quæ juveni, vix viginti &
sex annos habenti, raræ eruditionis admiratione, ante
quam discederet, potestatem obtulit, ad summum in Theolo-
gia decus ascendendi, reliquit, & instituto per Helmæstadium,

Wittebergam, Lipsiam, Jenam atque Erfurtum itinere, in partem tendens, Homileticis primum animum adplicuit, mox per regenerationis dulcedine inelcatus novo itineri se dedit, Belgico atque Anglico, A. M. DCLXXV. Vix dici potest, quantum ipsi, qui jam eximiam planè in studiis Theologicis perfectionem fuerat adeptus, Iustitio Bibliothecarum, quas stupet orbis, Bodleianæ, Cantabrigiensis & privatae Judæi Abendanæ, profuerit, quantum ex Episcoporum Theologorumque Anglicanorum, et aetate super aethera notorum, consuetudine in omni doctrinæ genere; EDUARDI in primis BERNARDI, Saviliani, cui per convictum & quotidiana colloquia familiarior redditus est; quantos sibi scientiarum thesauros in indagandis Belgarum Britannorumque aeternis infinitisque contentionibus, quantum historiarum de vario regiminis Ecclesiastici, diversissimorumque in una religione rituum, genere, de interneccinis inter eosdem bellis, de conquisitis reconciliationis mediis, & innumeris talibus, comparaverit. Comparent opes istæ maximè in libro, quem de Collegiatismo, tam orthodoxo quam heterodoxo, inscripsit, in quo, quid de privatis exercenda promovendaque pietatis Collegiis, omnis aetatis, omnisque religionis sectarii, ii in primis, qui in Bataviâ, tanquam cancer in venusto corpore, magno numero insident, tradiderint, eo ordine differuit, ut & diffusa atque admirabilis de fatalibus istarum nationum certaminibus cognitio & acre solersque judicium, de Collegiis illis latum, in precio sit lapid omnes, qui citra affectum de instituto, ad illorum imitationem, ex aliquo tempore nostris etiam Ecclesiis se insinuante, arbitrari contendunt. De quo in Praefatiuncula brevi aphorismo sententiam suam aperit. Collegalem docendi modum, a jens spennendum non esse duco, si abusum poterit & discordiam docentium evitare; id vero si obtineri nequit, ea via eligenda est, quæ veritati pariter & pari prospicitur: Si & filiali amore Deum & fraterno nos invicem prosequimur, omnes pariter concordibus studiis pro incremento Ecclesie laboremus, ut character verorum Christi discipulorum undique exiceat, neque post plures alias tragedias ipsa quoque Pietas nobis nunc herescos denominationem faciat. Sed de istis quidem hactenus. SCHOMERUS vero noster post acqui-

acquisitam ferreo labore incredibilem in omni disciplinâ scientiam, post peregrinationestam varias, tanto cum fructu peractas, ad has Athenas nostras accedens, ingentes illas dotes eruditio-
nis ac ingenium, maturâ exercitatione subactum, inclarescere in hac nostrâ Rep. literariâ voluit. Habitâ ad d. XXIII. Augusti A. MDC LXXVII. Inaugurali de objecâ adorationis religiose Dispu-
tatione, cuius actus immortalis gloriæ Theologus, AUGUSTUS VARENIVS, regebat, deprehensum est, omnes eundem Theologæ scopulos & controversiarum aspera, assiduo fadore &
nunquam remissâ animi curâ, ita pervaluisse, nihil ut jam deesset ei ad summæ eruditionis apud omnes existimationem, neque sub-
trahi ei ab Academiâ nostrâ ea præmia posse, quæ virtuti ejus jamdiu debebantur. Repeto VARENIANA ex Programmate verba: ad examen solenne admisssus pietatem, modestiam, ingenium,
diligentie ac exercitii limâ, doctrinaeque præceptis, in usum salubrem
sepositis, linguarum quoque, Theologo partim necessariarum, partim
decorarum, cognitione probè excutum, & quod caput est, quacunque
Theologie parte peccus non tantum benè preparatum, sed & instruic-
tum, judiciumque in re Theologicâ accuratum, sic satis egregiè proba-
vit. Quâ in re nisi singularem Divinæ providentia in hanc scho-
lam nostram favorem sentiamus, quæ isthac occasione illam in
hoc viro artium, quibus penitus penitusque fuit intinctus, va-
rietatem, illud scientiarum instrumentum multiplex, quod ad-
mirationi hactenus maximis viris fuerat, asserere volebat, næ
pietatis nostræ officio nos deesse dicendi simus. Igitur ut maxi-
mis animi virtutibus eminebat: ita & consecutus brevi dignita-
tes maximas est. Nullam tamen per ambitum, per impotentiam,
per libidinem. Oblatas, quousque aliorum luminibus &
honori obstruere videri poterat, recusavit, nec nisi pudenter &
verecundè accepit. Prætulit autem cæteris, ad quas aditus ei
patebat, functionibus Academiam. Noverat, luculentam esse
& gloriosam Professorii ordinis vitam. cum in iis occupata sit
studiis, quibus sine ambitione, sine prensationibus, æterni no-
minis fama paratur. Postquam Theologæ Professionem A.
MDCLXXX. à Serenissimo Duce, CHRISTIANO LUDOVICO
Mecklenburgico, ipsi oblatam, suscepit, cui Ecclesiarum in distri-
ctu

Et Meclenburgico cura atque gubernatio, sessio item in sanctio-
re Senatu adjuncta erat, prima ei cura fuit, ut Divinae veritatis
sensem planè illibatum incorruptumque indueret animo, atque
retineret constanter & intrepide, contraqve hæreticorum petiti-
ones omnis generis & machinas falsatorum improbas, fortissi-
mè & ad extrema usqve spiritum vindicaret. Documento
sunt pauca qvidem, sed edecumatae eruditionis, edita ab eo in
publicum, scripta, qvæ inter de Collegiatismo tam orthodoxo
qvam heterodoxo Disputationes quatuor & Specimen Theologiae
Moralis, ante à nobis memorata, eminent. Nam Assertionem
Endoxam Fidei Christianæ de Spiritu Sancto, contra novam Ganciac
inauditam barezin, sub schema Problematis paradoxi nuper in lucem
protrusam, cuius auctor *Christopherus, Christophori F. Sandius*
est, Arianae Sectæ subtilissimus pariter & acerrimus defensor,
nondum publicis officiis iniciatus, privato labore, communica-
risque cum clarissimis viris, D. SAMUEL POMARIO, D. ABR.
HINKELMANNO, D. THOMA HOENSTEDIO & D. ME-
NONE REICHO, consiliis, composuit. In quo ipso tamen va-
stum ingenium & admirandam posteris induitram & tot lin-
gvarum scientiam & exactum sacrarum Literarum scrutinium
& solidum de antiquitate judicium, ubique conspicendum præ-
buit. Testabuntur vero de sano viri per omnes Theologiaz
partes sensu amplius, qvæ mox propitiâ fortuna edenda reliquit
in sciniis, immortalia laudis & artis pignora, qvæ supra omnem
commendationem nostram assurgunt, qvæ æternitati deposituit,
donec sapientiae erunt aut cultores aut patroni. Pleraque vero
maturioris sublimiorisque meditamenti & prorsus ex eo genere,
qvæ animas humiles & veræ eruditionis egentes arceant ab in-
gressu, nec pateant, nisi quibus interiora doctrinarum myste-
ria recluduntur. Admotus postea A. MDCLXXXV. primæ Pro-
fessioni, novo dignitatis augmento ad novam in officio industri-
am, fidem, dexteritatem se persensit incitari. Itaque ad singu-
las officii partes curam, labores, vigilias, nunquam segnes,
nunquam defessa attulit. Dei se gerere vicem, tanquam pro-
curatorem aliquem, ei reddendas olim administratae familiae ra-
tiones, ut hero ac auctori, probe semperque recordabatur. Af-
firmat.

firmamus vobis, Cives, nihil esse ab illo, sive Divinas interpretetur Scripturas, sive controversiarum abdita reseraret, sive enuclearet morum disciplinam, sive aperiret Ecclesiae historiam, in parte ullâ prætermissum, quod quisquam acerrimo ingenio, pertinacibus studiis, optimâ doctrinâ, maximo usu cognitum, proponere aliis & tradere poterat. In explicando sacrorum sensu non alienâ tantum fidei ingenioque nitebatur, intelligentiam rerum ex interioribus textus recessibus & propriæ mentis solertiâ, qvæ exqvisita ei fuit, scrutabatur. In tractando omnem verborum pompam atque eruditionis febriculosam ostentationem aversabatur, naturæ qvodam rigore à πολυλογίᾳ alienus, sed gravitatem sensuum ac rerum, in solidos nervos contractarum, frugalitatem ita tenaciter amabat, ut nidor aliquis ex oratione ejus, non putidus, neque affectatus, exsurgeret. In consiliis tanta SCHOMERO prudentia, tanta animi perspicacia, tanta dijudicandi promptitudo, ut hoc ei donum rarissimo exemplo quasi proprium fuerit & peculiare. Nulli ei grishi, nulli casus incogniti inopinative erant, omnes omnino latebras perrumpabant, solvebatq; singula admirabili dexteritate, penè ut ad hoc natus factusq; esse videretur. Tam celeriter arripuit res, specie saepe dissatas & numero infinitas, tanquam genio suo cognatas & consentaneas, ut verosimile suo exemplo reddiderit qvorundam veterum Philosophorum opinionem, qvi res intellectu apprehendere nihil aliud esse docuerunt, qvam reminisci & recordari. Tanta ei in omnibus facilitas, ut per lusum saepe & aliud agendo plus efficerit, qvam alii improbo & pertinaci labore. Sensu edocemur, Cives, ingenia, licet magna & felicissima, non tamen facile, nisi in uno fere excellere. Si qvis sit, qvi universalem qvandam variarum rerum scientiam eadem perfectione in unum conjunxerit, inesse in hoc qvidam admirabile & prope Divinum, omnes rectè existimant. Id SCHOMERO nostro obtigisse, nemo eorum, qvi eundem penitus noverat, inficiabitur. Qvæ singula mirari solemus in aliis, ea junctim in eum confluxerant. Nam & Philosophiae, veteris atque recentioris, omniumque, qvæ ei ex variarum sectarum genere adhaerent, perplexitatum, & controversiarum Theologicarum, si ad ultimas etiam earum minutias & subtilitates progrediamur, &

linguarum, cum orientalium, Hébrææ, Chaldaicæ, Syræ, Rabbi-
nicæ, tum exoticarum, Anglicæ, Gallicæ, Italicæ, Hispanicæ,
(Danicam etiam adjunxit) quas omnes ego, qvod bona fide refero,
eundem legentem & interpretantem his oculis meis conspexi, ne
quid de Græcâ Latinave dicam, & Antiquitatis totius, sacræ &
profanæ, ejus cum primis, quæ in Synodicorum canonum curatiori
notitia consistit, quos quasi singulos in numerato habebat, & Hi-
storiæ recentioris, cum literariæ tum religiose, erat ad admirati-
onem usq; peritus. Nec quidquam literarum, qvod vel ad sacro.
sanctæ Theologiæ nostræ decus, vel ad ejusdem perfectionem &
majestatem faceret, non dicam, intactum reliquit & inexpertum,
sed curiosa felicitate intimè penitusque imbibit. Mathematicas
etiam disciplinas, ipsa sublimitate suâ plerisq; aliis impervias, ita hau-
fit, ut de difficillimis quæstionibus cum earum artium magistris
promptè, subtiliterq; & solidè contenderet. Qvibus componen-
dis exarandisq; manum adposuit, vulgaribus doctorum meditati-
onibus superiora sunt & ad eruditæ antiquitatis gloriam adspirant,
nec verborum lenociniis & inani fuso, sed in affectata simplicitate
& naturali pulcritudine decurrunt. Quæ legenti incertum est,
felicitatem ingenii, an judicii pondus & gravitatem prius admireris.
Inusitatæ hæ dotes, quas in pectore ejus collocaverat cœli beni-
gnitas, quibus non ad pompam aut speciem usus est, sed ad DEI
gloriam, ad usum, ad vitæ commoda, obscuræ aliis esse haud potu-
ere. Quare & ante quadriennium ad Academiam Livonorum
Dorpatensem, ut in eâ Cancellarii dignitatem sustineret, & ante
biennium ad celeberrimam illam, invicti Herois, Martini Lutheri,
ore calamoque consecratam, quæ ad Albim Wittebergæ floret,
futurus incliti Theologi, D. JO. ANDREÆ QVENSTADII, suc-
cessor, expeditus, immo vocatus est. Veruntamen indulgentissi-
mi PRINCIPIS, FRIDERICI WILHELMII, quem Deus amet,
cuique æternum bene esse jubeat! in usitato in hanc matrem no-
stram favore retentus est. Ut quæ supersunt, vita SCHOMERIA-
NÆ perseqvamur, Rectoratum Academiæ nostræ semel, sed in
alterum semestre præter ordinem prorogatum, Decanatum Fa-
cultatis Theologicæ freqventer obivit. Qvoshonores ita geslit, ut
& intemerata erga Academiam fides & rerum gerendarum peritiae

ac

ac prudentia planè singularis, (qvā ēvidēt in rē nēmini pēspid
cacissimorum unqvam cessit) ex omnibus ejus negotiis eluceret.
Doctores Theologiae creavit WILHELMUM PETERSENIUM,
JO. NICOLAUM QVISTORPIUM. Magnorum Parentum in
eadem officia jāmnūc successurum Filium, JOANNEM HIE-
RONYMUM LOCHNERUM; deniqve ultimo osculo & me do-
ctorem, citra ullum ad le redundans commodum, qvod pertinaci-
ter sp̄revit, salutavit. O utinam & ipsū tot rarissimarum virtu-
tum spiritum in me potuisset transfundere! Licentiam adsumen-
di supremos honores ab illo acceperunt GODLOB FRIDERICUS
SEELIGMANNUS, vir, ipsius SCHOMERI encomio, non minus
moribus gravis ac modestus, quam eruditione & facundiā non vulgari pol-
leens; & JACOBUS WINNEMERUS. Pro eodem gradu con-
sequendo sub ejus præficio disputavit JACOBUS DORNKRELL
AB EBERHERZ. In publicis prælectionibus, scholisq; privatis, qvic-
quid usq; vnam solidæ eruditionis est, non minore fide qvam diligen-
tiā tradidit. Eos, qvi convictu ipsius utebantur, tanq; vnam filios
suos habuit; idq; dedit operam sedulo, ut qvod lex XLVII. Sta-
tutorum Facultatis nostræ à Theologis requirit, in studia, vitam ac
mores eorum, qui sanctæ disciplina sese consecrarent, quanum fieri posset,
inquireret, de methodo studiorum probè informaret & ad scrūinium verbi
Divini atq; serium pietatis exercitium per gratiam Dei suscitaret fideliter.
Conjugem duxit A.M.DCLXXXIII. ANNAM CATHARINAM,
BERNHARDI VETTENII & ANNAE ELISABETHÆ BORNE-
FELDIAE Filiam, qvam incredibili studio, amore, sanctitate,
qvod & summis maximisq; virtutibus merebatur illa, complexus
perpetuò est. Cui matrimonio nihil felicitatis nisi sola diuturnitas
defuit. Decessit enim illa in qvarto puerperio, ingenti & prope
intolerabili cum mariti dolore, XXIII. Nov. A. MDCLXXXIX.
postqvam eidem genuisset NICOLAUM BERNHARDUM, SU-
SANNAM MARGARETHAM, ANNAM ELISABETHAM &
CATHARINAM LUCRETIAM; è qvibus tamen sola SUSAN-
NA MARGARETHA, ipsis Calendis Junii A. MDCLXXXV.
in lucem edita, superest. Hanc Filiolam suam, unicam illam, illam
blandulam, illam delicatulam, illam ipsā formositate formosio-
rem, ipsā dulciorem dulcedine, prudentiā antevertentem annos
virtute adulatas æqvantem, amavit meritò, ut oculum suum, utvi-

scera sua, ejusque salute & curâ, qvam incomparabili virginum
pari, Sororibus suis, ut & religiam familiam universam commisit,
nihil antiquius habuit unquam, aut prius. Cujus frugi indoles ita
Parentis præcepta prompto faciliq; obseqvio imbibit, ut illius illa
sapientiam, pietatem, modestiam, exactissimâ jucundissimâque
imagine olim sibi repræsentatura. Nunc ad excessum tanti viri
venio, qvamq; si hic lacrymis lingva, mens dolore oppressa,
conticescerent, venia nobis ab omnibus deberetur. Nam in
summo dolore animus noster tæpe sibi ipsi succumbit & q;icq;id
langvor ægrè effert, involvere silentio amat. Si tamen muti &
elingves forent omnes, me saltem non sineret quiescere pietas mea
& summus in defunctum affectus. Convocaverat die XXX. Martii
ordinis nostri RECTOR Academiæ Senatum, qvem præsentia ita
& SCHOMERUS cohonestavit. Eadem die sib; vesperam conven-
tum in Consistorio est, de sententiis seqventi die ferendis delibe-
ratum. Qverebatur de nescio quo corporis langvore & fauciū
vocisq; asperitas latentem ægritudinem prodebat. Reversus do-
mum acri frigore, qvod æstus qvidem, sed paulò moderatior, in-
secutus est, tentabatur. Nihil metuebat adverſi, cum corpus ei à
naturâ contigisset solidum, valetudo de cætero firma & aduersus
quilibet concussions durans. Nec malitiā morbi sentire in-
tegrum erat, nisi ex ciborum fastidio & virium infirmitate. Qvæ
cum indies caperet incrementa, consultus experientissimus Me-
dicus, D. GEORGIVS KUSSIUS, vitæ sensit periculum, petiitque
sibi adjungi, cuius mutuo consilio operaq; vis morbi posset infrin-
gi. Accedit ex Professorio ordine D. JO. ERNESTUS SCHA-
PERUS, medendi, qvâ excellit, arte & providâ curâ opem laturus.
Sed tueri nonnunq; valetudinem & pellere morbos medicina
potens est, at producere vitæ terminum & æternitate donare mor-
tales non potest. Qvare ordinis supremae voluntatis curis, ad
Deum conversus SCHOMERUS, cui in vitâ summâ religionis pu-
ritate adhæserat, qvem simplici defecatoq; animi studio semper co-
luerat, peccata sua submissa pectoris contritione, qvam & qvinto
qyolibet hebdomadis die voluntariojejunio testatus erat, confessus,
sacrosanctæ cœnæ Dominicæ viaticum, à Confessionario suo,
D. SIMONE HENNINGIO, (qvem virum ob accuratam erudi-
tionem & pientissimi animi integritatem maximis semper æstimâ-
verat

verat, & d^e votissimā animi reverētiā, mox horam obitū fūs extre-
mam, accepit. Reddīdit Servatori suo, cuius merito immotā fidu-
ciā innitebatur, animam intra horam sextam & septimam pome-
ridianam, IX. die Aprilis, A. MDCXCIII. Ita finitus est florentif-
simā integerrimaque ætate Theologus, verè eximius, verè con-
summatus. Non ideo eundem communi hominum sorti name-
roque eximus. Dum corporum sensibus premimur, aliis quidem
alia vitiā, alii defectus, sed omnibus tamen aliquā adhærent. Si
quid humani non unquam paſlus est SCHOMERUS noster, qui
humani à se nihil unquam alienum putavit, meminisse debemus,
in præstantibus viris magnarum virtutum interventu vitiā pen-
fari. Male volorum est, hominem non ab eā parte adspicere,
qvae melior est, sed muscarum instar rebus scabris insidere, præ-
ter volare nitentia & glabra. Morbum furoremque sapit, violare
illustres animas acerbis sermonibus & laceſſere mortuorum vir-
tutem. Feret aliquando incorruptum judicium posteritas & in-
genuis mentibus decus rependet ex vero. Interea tantiviri obi-
tu capitalis nos adflixit plaga. Præcipuum Academiæ nostræ lu-
men, quod unicū spes nostras, nubila satis & obscuras, illustra-
re posse videbatur, extinctum est. Eone deveniſle res nostras,
ut cum hæc Academia ex suis concussionibus restoreſcere, cum
Theologica ſtudia, ſana illa & ſalubria, ad pristinum redire nito-
rem deberent, tantæ rei ſpem ac tam grande præſidium in unius
viri capite amiserimus? Idne restare unicū, ut post accepta hoc
atque ſuperiori anno consummatissimorum in omni doctrinæ ge-
nere Jureconsultorum, JACOBI LEMBKENII & JOANNIS
FESTINGII, funera, & Theologorum noſtrorum princeps ē me-
dio excederet? Nimis gens MECLENBURGICA felix & ſuper-
ba ſummo Deo viſafuit, in propria hæc nobis bona fuiffent & per-
petua. Obſtupelcimus ad Divini ſati rigorem & ſupremi Numinis
de rebus noſtris judicium iratum planeſentimus & in nos quadam
quasi indignatione accentum. Si enim favere Numen rebus noſtriſ
jure existimamus, cum excellentes ingenio, doctrinā, virtu-
te, viros Rebus publicis, Academiis, Ecclesiis, immo humano ge-
neri elargitur; quidni ſentire debeamus, eundem averſo à noſtris
commodis & alienato animo eſſe, cum eosdem nobis ſubtrahit?
Quis eſt, quem tam acerbo caſu non mœſtum videas & dejectum?

B 3

Au-

Augustissimos Academiae nostrae Patronos intuleris & PRINCIPES
Dolorem illi suum seriis lamentis, scriptisque Epistolis, ad funeris
stum mœtorem compositis, aperuerunt; testati, in tantam nos-
finistro fato redigi Theologorum, non fucata, sed vera, sed soli-
dâ eruditione inlytorum, penitiam ac paupertatem, ut cum sin-
gulis, qui moriuntur, ipsa prope eruditio ac literæ efferrividean-
tur. Non dissimulanda hæc PRINCIPUM pietas est. Nam qui
bona fide Deum colit, etiam amat revereturq; Sacerdotes, Ad Aca-
demiam oculos convertis? Sine ambitionis metu pronunciare au-
sim, vix visuram posteritatis nostræ ætatem esse doctorē, vel doctri-
narum ubertate, vel prudentiæ laude, vel omni denique contentu
consensuq; laudis præstantiorem. Ad illum, qui de rebus Eccle-
siæ deliberat, judicatque, confessum? Orbatus ille est Senatore
fortissimo pariter, solertissimoque, qui optimâ conscientiæ fiduciâ
semper & dicere ea & facere studuit, quibus jus cuique intemera-
tum reddi & sacrorum cœtuum salutem confirmari maximè & sta-
biliri credidit. Ad Ecclesias, fidei ejus concreditas, earumque mi-
nistros? Amiserunt illi antistitem magni exempli ac ducem, quo vi-
vente adversus omnes injurias tuti erant ac securi. Ad Filiam,
ad Sorores, ad amplissimæ dignationis in Dicasterio Sverinensi
Fratrem, ad reliquam necessitudinem? Iis sollicito Parente & a-
mantissimo fratre privatis vulnus hoc altius in imo pectori hæret,
quam ut verbis efferrit possit. Ad amicos denique, qui in ejus con-
fuetudine jucundissimâ magnum vitæ suæ fructum posuerunt? At
his nihil aliud nisi indelebilem in animis, quoties ejus recordatur
sunt, cruciatum reliquit. De meipso quid dicam? Qui orbus nunc
sum optimo favissimoque amico, (nam non quoquam facile
nostrî ordinis familiarius utebatur) qui nunc, Jonathane meo de-
stitutus, cuius amor admirabilior mihi fuerat fœminarum amore,
in perpetuo squallore hæreo, quamquam publica mala inusitatum
mihi infligant dolorem, non minus tamen me commovet & per-
cellit privatæ jacturæ sensus. Heu, JUSTE CHRISTOPHORE,
meus amor, meæ deliciae! Te tantâ celeritate Tuum deserere
Pyladem! Eam mihi tam subito incubuisse tempestatem ac pro-
cellam, ut quos per triennium, (quod tamen vix triduum mihi
videbatur) sine ulla querela, sine ulla dissensione, quæcumque in
vitâ vel prima vel ultima esse solent, conjunxerunt, unum momen-
tum

tum, tam subitum, tam inopinatum, una, ah quam flebilis, hora,
tam diuturnæ legi absentiæ disjungat! Ego verò, Deum immor-
talē! naufragium hoc laborum meorum & curarum, qvī patien-
ter feram? Quid nunciabo STRYKIO, qvid HANNEKENIO,
qvid SPENERO, qvid KORTHOLTO, qvid DIECMANNO,
qvid MASIO, qvid FRANCKIO, qvid WINCKLERO, qvid SAND-
HAGENIO, qvid RECHENBERGIO, qvid SEELIGMANNO,
qvid LOCHNERO, qvid FALCKIO, qvid amicis aliis, qvōs, ut cæ-
tera, communes hactenus habuimus? Ubi sincerum illud pectus, in
qvod consilia mea, desideria mea, gaudia mea, secunda, adver-
sa, liberè conjecteram, alibi aut qværam aut inveniam? Qvis nos
posthac vēl in ædem illam Jacobæam, quam melleā eloquentiæ Tuæ
Ivadā, excitantibus devotionem nostram diebus festis, haud semel
implevisti, qvis in aream Collegii Borealem, qvis in atrium jo-
hannæum, nos unā euntes, qvis unā sedentes, qvis obambulantes,
qvis colloquentes, qvis ab blandientes videbit? Ego verò Te uno
me reputabam felicem, qvod omnes studiorum meorum partes
Tibi reddere communes, qvod omnes curas in sinum Tuum ef-
fundere, qvod coineantum ad me ex variis orbis partibus epistola-
rum Te reddere participē, rerumq; ad Te ab amicis scriptarum pa-
riter compos fieripossem. Ita gaudebam us unā & unā tristabamur.
Ita ædificare invicem in scientiâ nitebamur & pietate. His tantis
bonis exutus quasi in solitudine nunc dego, nec qvidquam mihi
superest, quam ut dolore brevi constumar & infelicitatem interea
meam acerbis lacrymis deplorem. Tu verò in fortunato ævo,
quamquam mei, ut omnino spero, memor, degis. Tu terq; qva-
terq; beatus ad eas sanctorum sedes elatus nunc es, in qvibus ori-
gini Tuæ & summo bono conjunctus vivis. Frueris nunc altâ quiete
& Deum Dominumq; Tuum, quem propitium Tibi hic semper ha-
buisti, ex propinquo adspicis. Uteris sorte Tuâ & lætaris. Nos
equidem, noltrasque spes dejicit inexsuperabilis fatorum vis & de-
cretoria illa hora, qvæ præclarissimis qvibusvis cœptis, priusquam
consummata sunt, imponit finem; magnarum rerum, qvas Te su-
perstite moliti sumus, expectationem frustrata est. Exiguo Tu
nunc clauderis tumulo, qvi curâ & animi studio patriæ fines jam-
diu excesseras. Quamquam qvid dico, eum concludi, qvitotum
orbem pro domicilio habet? Qui per omnium gentium posthac
voli-

yolitabit ora, apud qvos veræ eruditio[n]is & decus unq[ue]am erit &
pre[st]ium. Qui enim ingenii opibus & animi contentione non
uni tantum prode[m]e, sed omnibus studuerunt, ij nec uno loco vi-
vunt, nec seculo uno. Horum vita non consumitur annis, sed ab
æternitatis diuturnitate capit vires & tempore ipso major meliorq[ue]
efflorescit. Qvæcunq[ue] fama viros doctos viventes adhuc prose-
qvitur, ea, qvja sine aliorum invidiâ non est, & rara est, & plerumq[ue]
minor, qvam debet. At ea, qvæ post exequias manet, qvando
emoritur cum corporis cadavere livor, immensa est, sine fine est,
supra hominum & temporum injuriam est. Tu itaque, beatissi-
ma in cœlis anima, Anima, jam in hoc mundo DEO tuo proxi-
ma, candida anima, anima innumeris nobis suspiriis, immola-
crymis, desiderata, qvæ encomio nunc omni superior es, qvæ nec
inq[ui]etaris ullis amplius affectibus, nec aliorum odio raperis in
diversa, qvæ domicilio nunc gaudes, angelicæ tuæ naturæ ac æter-
nitati consentaneo, qvæ nec angeris moerore, nec metu contre-
mischis, nec spe longâ maceraris, qvæ frueris incorruptâ beatitudi-
ne & rerum omnium in conjunctione Tuâ cum Christo affluentia;
vale, anima beata, vale, æternumq[ue] vale. Cæterum dum jacturam
nostram in expiabili cum luctu deflemus, ingens nobis in Serenis-
simò Duce, FRIDERICO WILHELMO, ingens in iis, qui ad
tanti PRINCIP S sedent aures, spes est. Vestrum implorat Aca-
demia nostra, Collegium imprimis Theologicum, auxilium, ve-
stram trepida anxiaque deposita opem. Vestro patrocinio, Vestro
in bonas literas amori tota se, in ferali mœrore posita, credit. Si
doctorem nobis dederitis & eruditio[n]e solidâ excellentem & pru-
dentia[re] Christianæ artibus inclytum & pacis veritatisq[ue] studia æq[ue];
amantem & famam SCHOMERIANI nominis pari successu pro-
pagantem, tum verò & de sublato in SCHOMERO nostro tanto
præsidio parcus dolebimus, & Scholæ nostræ annales officium
Vestrum, quod Deo, qvod Reipublicæ, quod nobis debetis, per-
petuò prædicabunt. Postremò Vos alloq[ui]m[us], Cives, qui docto-
ris Vestri excessu mœrore toti circumfusi & debilitati estis, dumq[ue]
funus ejus ex ædibus Meloselenianis hodie solenni pompâ effere-
tur, brevi verborum sententiâ cum Metello Macedonico dico :
ITE, FILII CELEBRATE EXEQVIAS; NUNQ[UE]AM
MAJORIS CIVIS FUNUS VIDEBITIS.

P. P. Sub Sigillo Facultatis. XXI. Apt. MDCXCIII. Convenietur
in æde D. Jacobo sacratâ, post horam primam.



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de/
rosdok/ppn755908074/phys_0019](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn755908074/phys_0019)

DFG



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de/
rosdok/ppn755908074/phys_0021](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn755908074/phys_0021)


DFG



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de/
rosdok/ppn755908074/phys_0022](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn755908074/phys_0022)

DFG



Quidem diversæ passim Philosophiæ circumferuntur descriptiones, quas singulas, & recensere, longum; & ad rationis, in præsentiarum, libellam revocare, tædiosum foret. Antiquissimam ego primâ facio: tanquā à Philosophorū, quos habemus, Primate latā, omniumque, rectè philosophantium, calculō, hactenus approbatā Platonis ea est, digna profecto Authore abus tantum voculis, MEDITATIONE, puta, lvatur. Censebat Divius ille Vir, tantò nos evas, quantò vivaciùs consideremus mortem. Ne ipso falsus est, cùm, quodcunque in Philosopho, circa mortis meditationem reperiamus. Mortem, quæ rectam vivendi rationem monstrat, atque it, quales esse in morte desideramus. Ea, animum quæ à verò nos abducere, aut aliquam, nomini m notam inurere possunt. Ea est, quæ do, timorem pellit, tranquillitatem inducit; s casuum animum varietates firmat, adversus reddit, quando omnia a eodem impedimentantò paratior sit, sicubi res exiget, statim quando est faciendum, statim exire, quo aliud, tabernaculo suo. Quæ enim ista mortis, aut socordia, cùm cognati simus DEO, cùm terris animal, præter hominem, cognitione.

DE